



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Valerii Reginaldi Bvrgvndi Seqvani E Societ: Iesv,
Praxis Fori Poenitentialis**

Ad Directionem Confessarii, In Vsv Sacri sui muneris ...

Regnault, Valère

Mogvntiæ, 1617

Cap. 3. De falso testimonio,

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78332](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78332)

Dei committens. Quamquam tamen charitati valde confiteantur: iudicando scilicet proximum habendum esse pro viro probato, quamdiu non constat de contrario: atque ita affectu interno ac externo, agendi modo ipsum tractando, ac si re ipsa sit probus. Quod tunc maxime seruandum est quando negotium aliquod cum eo transigendum, tale quid exegerit, aut prauus in eum motus animi vincendus fuerit.

CAPVT III.

De falso testimonio.

SVMMARIVM.

- 31 Mendacium à Iudice dictum in iudicio quando fit vel non fit mortale.
- 32 Non est mortale dictum à Iudice condemnante secundum allegata & probata eum, quem scientia priuata scit esse innocentem.
- 33 De mendacio accusatoris; & quod hic teneatur restituere per illud acquisitum.
- 34 Explicatio dubitationis: An accusator antequam accuset teneatur reum pramonere vt satisfaciatur.
- 35 Mendacium rei in iudicio tanquam perniciosum, rationem habet peccati mortalis.
- 36 Obseruanda à Confessorio quoad tale mendacium.
- 37 Rationes suadentes probabile esse, quod reus cuius crimen non est plene probatum, à mortali excusetur, si illud in iudicio neget ad mortem vitandam.
- 38 Nonnulla ad qua aduertendum est in iudicio serendo de eiusmodi mendacio.
- 39 Requisita vt quis censetur legitime interrogatus.
- 40 De infamia requisita.
- 41 De iudicio ac semprobatione.
- 42 Reus potest respondere ambigue, quando non interrogatur iuridice, & fugere nondum captus.
- 43 Falsum testimonium peccatum mortale est suo genere.
- 44 In eo excusatio non habet locum ex materia leuitate, cum fuerit iureiurando confirmatum.
- 45 Quid tenendum sit de eo qui bona fide putat se dicere ac iurare verum.
- 46 Testis cum non interrogatur secundum iuris ordinem, perinde celare potest veritatem ac reus, etsi nonnulla cernatur differentia.
- 47 Etiam si crimina sint notoria, nisi vergant in reipub. perniciem, aut notabile damnum tertij: auctor omnino occultus celari potest.
- 48 Non tenetur quis testificari cum graui suo damno: & quid agere debeat, cum non interrogatur iuridice.
- 49 Denunciatio mendax quando fit peccatum mortale.
- 50 De denunciatione facienda iussu Superioris in tendentis punitionem.
- 51 De facienda iussu eiusdem in tendentis correctionem Rei, aut partis satisfactionem.
- 52 Eam fieri non premissa correptione fraterna, si peccatum sit omnino occultum (excepto casu hæresis) Superior precipere non potest.
- 53 Quid agi debeat cum crim. no. us notorius est.
- 54 Aliter procedendum est cum Superior precipit reuelationem fieri per modum denunciationis, ac per modum iudicij.
- 55 De reuelatione criminis quod vergit in reipub. perniciem, aut notabile damnum tertie persone.
- 56 De monitione Rei, quando pramitti debeat eidem reuelationi.
- 57 Alia aduertenda de eadem reuelatione.
- 58 Facienda est, cum quam minime fieri potest noxij detrimentum.
- 59 Qua ratione Prelato aut denunciari possit peccatum occultum proximi, quod ei soli nocet.
- 60 Obligatio corripiendi publice peccantem, & quedam alia aduertenda circa predictam denunciationem.
- 61 Obligatio obediendi Superiori precipienti vt criminosis, secreto reuelentur sibi, tanquam patri.

62 Seruanda est forma edicti quo Superior precipit aliquid reueari.

63 Quisdam circa eandem reuelationem noranda pro praxi.

64 Excusatio ab obligatione, qua imponitur sub excommunicatione reuelandi eos qui aliena bona retinent.



ALSI testimonij nomine intelligitur hic generaliter omne perniciosum mendacium, quod in iudicio dicitur, siue à Iudice, siue ab actore seu accusatore, siue à defensore, aut notario vel procuratore, siue à reo, siue à teste, siue à denunciatoribus. Non habet autem difficultatem in defensore, notario & procuratore specialis, quæ non satis intelligatur, tum ex mox dicendis de aliis; tum ex speciali ratione iudicandi de peccatis earundem personarum, tradenda in sequenti libro tractatu vltimo. Dicemus ergo hic 1. de mendacio Iudicis, secundo, de mendacio accusatoris; tertio, de mendacio rei, quarto, de mendacio denunciatoris.

SECTIO I.

De mendacio Iudicis.

Circa hoc notandum est, quod si Iudex in iis quæ ad iudicium attinent, mentitur, tale mendacium censetur perniciosum, & per consequens mortale iuxta tradita à D. Thoma 2.2. quest. 110. art. 4. Idque expresse docent Caiet. in verbo Mendacium & Armilla eodem verbo §. 2. æquiparantes mendacium Iudicis, dictum contra veritatem spectantem ad officium ipsius, mendacio prædicatoris dicto contra veritatem, ad officium ipsius spectantem. Quod si mendacium à Iudice prolatum in iudicio, non esset de iis quæ ad iudicij veritatem pertinent, is de mortali non esset condemnandus, iuxta eundem Caietanum ad citatum D. Thomæ art. 4. sub finem: quem Nauar. sequitur ad cap. Fratres De panit. dist. 5. num. 21. & 22. Intellige autem nisi aliunde sit mortale, vt ex iuramento adiuncto. Quinimo & Nauar. in eod. num. 22. addit in iis etiam quæ ad iudicium pertinent, Iudex possit venialiter tantum peccare mentiendo, ob materiam leuitatem, quam in tali peccato, perinde ac in aliis, excusare à mortali, non videtur negandum; licet Caiet. in summa, verbo Mendacium contrarium iudicet.

Sed quæres, quid sit dicendum, si Iudex contra propriam scientiam proferat sententiam in re graui, puta condemnando aliquem ad mortem secundum allegata & probata, quem certo nouit innocentem: Vtrum mortaliter peccet tanquam mentiens pernicioso in iudicio. Ad quod negatiue respondendum esse patet per tradita in præcedenti lib. 21. cap. 3. dub. 4. post Caiet. 2.2. quest. 67. art. 2. ac Soto lib. 5. De iust. & iure, quest. 4. art. 2. Ratio vero est: quia vt in Iudice duplex est persona: nimirum priuata, & publica: ita duplex est scientia, vna priuata, altera publica, & publicam habet vt Iudex, ex allegatis & probatis: vnde fit vt mirum videri nõ debeat, si quando sententiam profert tãquam Iudex, adeo, secundum scientiam publicam, dicatur veram, non autem falsam proferre sententiam: dum profert eam secundum allegata & probata: etiam si id faciat contra priuatam scientiam. Verum tamen si conscientia dicitur ei, quod talem sententiam proferre nequeat, debet illam omnino deponere, antequam sententiam ipsam ferat: quoniam peccaret alioqui, iuxta antedicta in præced. lib. 19. tract. 2. cap. 11. reg. 3.

SECTIO II.

De mendacio accusatoris.

IN iudicio ex parte accusatoris seu actoris, datur perniciosum mortaleque mendacium, quando calumniose falsoque accusat, iuxta tradita per D. Thomam 2.2. quest. 68. art. 3. & per Sotum lib. 5. de iust. & iure, quest. 5. art. tertio, & Nauar. in Enchir. cap. 25. num. 31. secundum quem talis tenetur omnia damna subsecuta refarcire: quod idem habet Armilla in verbo Accusatio, num. 11. Possit autem quis iuxta D. Thomam in eod. art. 3. ad 1. aliquando per iustam ignorantiam in hoc excusari à peccato (& pariter ex Armilla ibidem) nempe quando accusationem institueret de falso, quod probabiliter putaret verum esse. Quamquam talis mortaliter peccaret, si vbi primum nouit falsitatem, non desistat ab accusatione, secundum Nauar. loco cit.

Secundum

Secundum quem etiam, is qui post definitum sententiam quam contra alium obtinuit, cognoscit suam causam fuisse iniustam, teneatur ad restitutionem eorum quæ per eandem sententiam acquisiuit: quia, *inquit ille, ex Innocentio ad cap. Quia pleriq; De immunitate Ecclesiarum communiter recepto, sententia iniusta non tribuitur in conscientia.* Intellige etiam si ea in rem iudicatam ideo transferit quod ab ea non sit intra legitimum tempus appellatum. Item etiam si iudex secundum allegata & probata sententiam tulerit, neque enim inde causa sit iusta ex iniusta. Attamen expensas quas Reus fecit interim dum bona fide contra ipsum legitime agebatur, non tenebitur accusator exsoluere: quia damnatum nulla nostra culpa acceptum, non tenemur resarcire. Imo nec rem ipsam tenebitur restituere, si post latam sententiam durante bona fide, per legitimum tempus eam præscriperimus, ut constat ex iis quæ de præscriptione dicitur solum à Doctoribus. Locum autem hæc habent in fisco, sicut & in cæteris; adeo ut si quis fuit de hæresi falso accusatus, & ex allegatis, & probatis condemnatus: fiscus qui bona ipsius acquisiuit per priuationem ex condemnatione subsequente; ubi primum de iniustitia ei consulerit, teneatur acquisita restituere.

Hic occurrit dubitatio: An accusator antequam accuset teneatur rem præmonere, ut debito satisfaciatur. Quam bene tractat Petrus à Nauar. in lib. 2. De restit. cap. 4. à num. 250. Ac pro parte affirmante adfert: tum quod aliqui iniuste & sine causa, Reus infamatur apud Iudicem: tum quod Christus Math. 18. præscripsit ut antequam diceretur Ecclesiaz, seu Prælati, delinquens secreto primum corripatur, ac deinde testes adhiberentur quibus posset accusatio postea comprobari. Pro parte negante vero adfert: tum quod vnusquisque ius habeat recuperandi illud quod sibi vel alteri iniuste debetur, procurandi que reipubl. commune bonum: tum quod ex ratione ceteri à peccato deterreantur, & à delinquentis consortio, & familiaritate qua infensidii erant reuocentur. Pro solutione vero, tres tangit conclusiones.

Prima est: In foro causarum ad accusationem Rei non esse necessariam eius præmonitionem. Hanc deducit ex eo, quod per cap. Qualiter, 2. vers. Verum, De accusationibus; ad accusationem que intenditur ad Prælati degradationem: non admonitio sed inscriptio requiratur, id est, obligatio accusatoris ad eandem penam, si non probauerit, prout interpretatur glossa cap. Super his, eod. tit. ad verbum *Oportet inscribi*. Confirmatur etiam ex eo, quod præmonitio sit ad emendationem: accusatoris vero finis in foro causarum sit punitio Rei, non autem emendatio.

Secunda est, quam si ut præcc. ient. in idem auctor omnium esse ait. Quando ita necessarium fuerit ad bonum commune, vel ad priuam satisfactionem quæ alter haberi non potest: licitum esse sine admonitione Reum etiam extra iudicium accusare, quantumvis delictum iam sit emendatum. Huius ratio est: quod vnusquisque tanquam reipubl. membrum, ius habeat petendi, ut in ea puniantur delicta ad exemplum aliorum, & ut tranquille in ea viuantur: itemque sibi vel alteri siq; restitutionem famæ, aliorumve damnorum, ius habeat procurandi apud Superiorem per modum querelæ: præsertim quando aliter ea non obtineretur facile: & peccatum illud quo ipse, aut alter læsus est, peccatum esset iniustitiae. Non est tamen negandum, quin si in tali casu præmonitio ad Reu emendationem iuuat, ea præmitti debeat: quia quomodo cumque conera cum agatur, salus eius nunquam est negligenda.

Tertia conclusio est: Quando nec satisfactio facienda est, nec aliud damnum imminet quam quod Reus manebit impunitus nos uti debere potius admonitione ad illius emendationem, quam accusationem ad punitionem. Hæc probari potest per cap. Si peccauerit, 2. quæst. 1. exemplo sancti Ioseph, qui cum iustus esset, B. Virginem inuentam grauidam noluit manifestare Iudici, qui illam puniret, tanquam adulteram: sed voluit occulte dimittere eam, ac rem occultam, neque vili alij nociua, tegere silentio. Accedit quod agamus alioqui contra charitatem, mutuumque dilectionem, qua tenemur defectus proximorum ac damna eorum vitare, dum commode & sine alterius præiudicio id facere possumus. Pro

eadem etiam conclusione faciunt rationes initio propositæ pro parte affirmante.

Idem autem prout primæ & secundæ conclusioni ante positæ, aduersari videntur, respondendum est. Ad priorem quidem Reum dum accusatur apud Iudicem, non infamari sine causa, sed propter reip. tranquillitatem, ad cuius procuracionem quisque ius habet, neq; inde iniuria fit Reo: quia ex quo peccauit coram iis per quos delictum probari potest, quæsitum est illis ius accusandi ipsum, & petendi ipsius punitionem, nec ei seruandi secretum. Ad posteriorem vero respondendum est: ubi agi de denunciatione fraterna, quæ cum sit instituta ad emendationem fratris, si is admonitione resipuerit, aut probabiliter iudicetur futurum ut resipiscat, frustra fieret infamatio ipsius apud Superiorem. Secus est vero de accusatione facta ad punitionem, vel satisfactionem, ad quam Reus etiam emendatus tenetur.

De mendacio Rei.
SECTIO III.

Reum qui legitime interrogatus in iudicio veritatem negat, perniciosi mortalisque mendacij culpam incurere docet D. Thom. 2. 2. quæst. 69. art. 1. & post ipsum Syluest. in verb. *Accusatio, quæst. 13.* Sor. lib. 5. de iust. & iur. quæst. 6. ar. 2. Nauar. in Enchir. cap. 18. num. 57. & ad cap. Inter verba, concl. 6. nu. 20. aliorumque communiter, quorum plures refert Petrus à Nauar. lib. 2. De restit. cap. 4. num. 138. Fundamentum autem præcipuum talis doctrinæ est, quod subditus teneatur in conscientia, parere iusto præcepto Superioris, cum faciat alioqui contra obedientiam initio cap. 13. epist. ad Rom. præscriptam illis verbis: *Omnis anima potestati sublimioribus subdita sit.* ipsique Superiori inferat iniuriam violando ius ipsius. At præceptum quo Iudex legitime, sed iuxta legum præscriptum procedens, præcipit Reo ut veritatem sibi reuelat, iustum est: ut pote institutum ad euitandum damnum quod reipubl. alioqui caperet, dum malefactores subinde crescerent per confidentiam impunitatis. Igitur Reus tenetur tali præcepto parere: sique contra illud mendaciter neget veritatem in re graui, seu valde nociua reipublicæ, aut personæ priuatæ, mortaliter peccat: potestque ab eo per torturam veritas ipsa extorqueri, iuxta cap. 1. §. penul. De deposito. Quod aduerte locum habere, etiam si tale mendacium dicatur à Reo sine iuramento, prout notat in lib. 5. De iust. t. & iure, quæst. 6. art. 1. Et ratio est: quia fundamentum cuius meminimus, non consistit in iuramento: sed in ipsa Rei conditione. Locum habere quantumcumque; Reus mentitur ad euitandam mortem sibi ex sua confessione irrogandam, ex D. Thoma in eod. art. 1. ad 2. quem sequuntur Sotus loco cit. & Ludouicus Beia in priore parte suarum responsionum, casu 32. ac Nauar. in Enchir. cap. 25. nu. 35. Ratio D. Thomæ est, quod mentiendo faciat iniuriam ei cui obedire tenetur, denegando quod ipsi debetur. Adde quod Iosue, *ex illius histor. cap. 7.* tale debitum exegerit ab eo qui satis scire potuit ex confessione veritatis, mortem certo sibi imminere: Fili mi (*inquit*) da gloriam Domino Deo Israel, & indica mihi quid feceris, ne abscondas.

Cæterum in hac re tria sunt obseruanda Cōfessario. Primum est, ut cum de tali defectu Reus nihil se accusat, cum interroget tantum vnuerse, an ipsum ita peccauit vitæ præteritæ propter Deum, ut nullo modo velit, nequidem ad mortem vitandam ipsum mortaliter offendere, & ab ipsius gratia, ac æterna gloria excidere. Nam interrogando in particulari, num habeat, propositum dicendi veritatem, etiam si ei moriendum sit, reuocari posset à concipiendo proposito vitandi omne peccatum mortale: quia facilius est continere in comoda concepta sub cōmuni ratione, quæ sub aliqua particulari cuius periculum imminet. Secundum est, ut nō sit facilis in præcipiendis, ut veritas ab eo dicatur, in iacturâ corporis: nec facilis in permitiendo, ut veritatem teneat, vel celet, in iacturâ animæ: sed summa maturitate & cōsilio rem & circumstantias omnes expendat.

Tertium est, ut in dubio inclinet ad fauorem Rei. Circa quod monendum occurrit, nō sine rationum fundamento, Petrum à Nauar. in lib. 2. De restit. cap. 4. à num. 142. & Leonar. Testium *De iust. & iure, lib. 2. cap. 31. dub. 3. nu. 6.* Emanuelem Rodericum, *Regularium quæstionum, tomo 2. quæst. 19. art. 4.* opinari posse pie probabiliterque teneri, quod Reus, cuius crimen non plene probatum, possit in causa capit. s. ad mortem

mortem euitandam, celare veritatem nõ obstante Superioris præcepto de ea dicenda. Rationes sunt: prima, quod ex l. 4. ff. De testibus, nemo cogi possit ad testificandum contra sanguine iunctum. Nemo autem cuiquam magis sit coniunctus sanguine quam sibi ipsi. Secunda est, quod vehemens inclinatio quam natura indidit cuique ad sui conseruationem, indicet naturam ipsam illi fecisse facultatem liberriam se tuendi per omne medium de se licitum: quale censeretur potest veritatem celare ad mortis periculum vitandum: siquidem spes sit illud euadendi. Quod addo, quia si non sit spes, vt cum constat haberi posse probationes sufficientes, cessaret ratio iusta celandi. Postrema est, quod lex humana non obligat cum periculo mortis, nisi magnitudo negotij aliud exigat, prout expositum est in præced. lib. 11. in fine. Ergo nec obligabit præceptum humanum, quandoquidem vtriusque eadem est ratio, si cætera sint paria. Quocirca criminofus non tenetur præcipiente Iudice veritatem detegere, si alias liber sit à periculo mortis (vt cũ aduersus ipsum sufficiens publica scientia haberi nequit) ne scilicet in illud se coniciat per eandem detectionem: quod quidem vitandum in iunctum, iusque à natura habet maximum.

Neque obstat quod Superior illam præcipiat, tanquam legitime officio suo fungens, gratia boni publici. Nam in istiusmodi casu ob memoratum ius, præceptum ipsius censeretur potest datum ad Reum terrendum, inducendumque; ad detegendam veritatem, non autem ad obligandum ipsum in conscientia. Vnde habetur responsio ad rationem D. Thom. antea propositam num. 35. quia saltem pateat, eam non esse omnino necessariam. Quæ omnia in medium adferre libuit, quæ satis ostendere videntur Confessarium debere esse liberalem erga Reum sibi confitentem (nisi id fieret in iniuriam diuinæ gloriæ aut in ingens detrimentum publicum, iuxta antecitatum ex libro solue) vt Reum non facile compellat ad veritatem fatendam, quando id propterea recusat, quod sciat suum scelus ita occultum esse, vt scientia ad sententiam mortis requisita, aliter haberi non possit, quam per suam confessionem.

Monendus autem hic est obiter idem Confessarius, quod curare debeat vt audita sacramentali confessione Rei, ita in exteriori facie se componat, seq; ita gerat, vt Iudex nequeat de auditis quicquam suspicari: sique ille ipsum interrogauerit, respondere debeat se suum munus peregrisse, nec quicquam amplius dicere, iuxta communem doctrinam de sigillo Sacramentali.

Observationes pro iudicio de Rei mendacio.

SECTIO IV.

38. **C**æterum præter iam dicta, in iudicio de proposito mendacio aduertendum est. I. Reum qui citra iuramentum in re leui mendacium profert, non nisi venialiter peccare, etiam si illud in iudicio proferat, prout contra Caiet. tenent Nauar. ad cap. Fratres, De penit. dist. 5. num. 22. Couar. in lib. 1. var. resol. cap. 1. num. 2. Socus lib. 5. De iustit. & iure, quest. 6. art. 1. sub finem, & quest. 7. art. 4. concl. 2. Quorum fundamentum est, quod non detur ratio cur leuitas matriciæ, non excuset à mortali in care, sicut excusat in aliis.

Aduertendum est secundo, Reum quem Iudex interrogat de facto, quod absque culpa, saltem lethali, perpetraverit: non teneri veritatem fateri. Exempli gratia: Titium inuadentem occidisti seruato moderamine inculpate tutelæ, aut certe absq; notabili excessu: non teneris fateri te occidisse. Ratio est: quia mens Iudicis est querere de occisione criminosa; vt argumento est, quod si rectus sit, & interrogetur, de qua occisione intelligat, omnino respõdebit de criminosa, cum pro alia non possit ferre sententiam mortis.

Aduertendum est tertio, Reum nisi legitime interrogetur in iudicio, non teneri respondere veritatem fatendo. Quæ est doctrina D. Thomæ 2. 2. quest. 69. art. 1. recepta ab omnibus, teste Petro à Nauar. lib. 2. De restit. cap. 4. num. 136. Fundamentum est autem, quod Iudex non possit tunc Reo imponere obligationem aperiendi suum crimen, aut compellead iurandũ, & multo minus ipsum corporaliter torquere, cum ius non tribuat ei talẽ authoritatem, vt satis indicatur in cap. Qualiter & quando primo, De accusationibus: cũ improbat iudicium in quo seruatus non est ordo præscriptus à iure.

Vt vero cõfatur quis legitime interrogatus, opus est primo, vt interrogatio fiat ab eo quem Reus nouit esse legitimum suum Iudicem, ex Soto lib. 5. De iustitia & iure, quest. 6. art. 1. concl. 2. & Nauar. ad cap. Inter verba concl. 6. n. 20. & in Enchir. cap. 18. nu. 57. Et ratio est: quia nemo tenetur succipere graue onus, impositum ab eo quem nescit posse imponere, seu potestatem imponendi habere. Si autem sciatur esse legitimum, nihil refert, an sit Iudex ordinarius, an vero delegatus, dummodo sit eiusdẽ Rei Iudex quoad talẽ causam. Secundo opus est, vt secundum iuris formam fiat interrogatio: nempe vt habet Nauar. locis citatis, præcedente aut infamia, aut delicti probatione, saltem semiplena, aut iudicis sufficientibus. Sed de eadem forma pluribus postea in lib. 25. cap. 5. se. 3.

Porro prædictam infamiam non sufficit esse simplicem, quæ rationem quidem habet accusationis, non tamen probationis; sed ex Nauar. in citato num. 20. oportet esse plene probatam: scilicet per duos minimum testes iurantes se audiuisse à pluribus personis, non disculis, neque inimicis, sed fide dignis: quemadmodum ex Bartholo & aliis iurisperitis habet Ludouicus Beia in parte priorẽ suarum responsionum casu 32. aut si in auius talem per quam apud probos viros persona redatur de eo crimine rationabiliter suspecta; prout habet Caiet. 2. 2. quest. 69. art. 1. & 2. Cui assentitur Nauar. ad rubricam De iudicis, num. 58. Neque satis est, vt idem addunt, quod discolorum hominum ea vox sit, id est, quod de eo discolori homines tale quid iactent, iuxta illud in cap. Qualiter & quando 2. De accusationibus. Non quidem à maleuolis, sed à prouidis & honestis: ne semel tantum, sed sæpe quod clamor innuit, & infamatio manifestat. Id quod Petrus à Nauar. in cit. cap. 4. num. 15. annotat: & in præcedenti 151. commendat dictum à Soto: ad infamiam non sufficit certum numerum testium, sed requiritur maiorem partem vel populi, vel Parochiæ, vel saltem vicinæ. Ac in sequenti num. 153. cum Syluest. contra Angelum addit, non esse necessesse famam, seu clamorem populi deferri ad Iudicem pro tribunali sedentem: quia id nec iure aliquo statuitur, nec reipubl. gubernationi, & necessariæ delictorum punitioni conuenit.

Sufficiencia autem iudicia intellige esse, quæ infamiam prædictam, aut semiplenam probationem (de qua paulo post) equipollent: aut etiam quæ manifesta sint: sufficienter ad mortalem certitudinem iudicio prudentis. Idque eo modo quo bene explicat loco cit. Caiet. his verbis. Quod author dicit (de D. Thom. loquitur) id tria referri: intelligi primo, ad factum, cuius est indicium: ita quod manifeste indicent tale factum. Secundo, ad personam: ita quod manifestent ipsam perpetrasse tale facinus. Tertio, ad proctum: ita quod eiusmodi iudicia manifestent reo, vt sciat se esse in tali articulo constitutum, quod teneatur obedire Iudici præcipienti & extorquenti veritatem.

Ex quorum trium duobus prioribus, consequens est, quandiu delictum fuerit occultum vel incertum, vt reus se probabiliter tueri, & obiecta depellere valeat, non posse in foro conscientie imponi ipsi obligationem ad illud in suam perniciem aperiendum; cum id non minus durum sit, & à ratione alienum, quam spoliare aliquem armis quibus iuste se, suaque tueri videtur. Ex tertio vero consequens est, Iudicem teneri aperiire reo statum causæ, probationem, indicia & testes (idque propriis nominibus ex cap. Qualiter & quando, 2. §. Debet, De accusatoribus) vt videat procedi contra se iuridice, seque interrogari posse: vtque si quid habeat contra, possit & obicere, ac excipere. Quæ doctrina communiter recepta & specialiter expressa à Nauar. ad Rubricam De iudicis, num. 58. hinc confirmatur: quia sicut nemo tenetur legi obtemperare, ante illius promulgationem; ita nullus tenetur parere vbi cõtra se agitur, nisi cum qui iubet, Iudicem suum esse, & iuste præcipere ipsi constet. Quamquam tamen istud censeretur potest non necessarium, quando interrogatio in iis casibus fieret, in quibus ex legitima approbataque consuetudine, non requiritur tanta solemnitas in interrogando reo: aut quando Iudex adeo probus fuerit, vt fas non sit suspicari eum procedere contra ius.

Per semiplenam denique probationem, intelligendus est testis omni exceptione maior, oculus aut alias fide dignifimus.

simus, qui iudicialiter parte legitime citata, deposuerit iuratus, Isemum ad interrogandum reum per viam inquisitionis erit satis: cum saltem infamiam æquipolet, vt bene explicat Nauar. ad eandem rubricam De iudiciis, num. 65.

Aduertendum est quarto, Reum quando non interrogatur iudice, mentiri quidem non posse (etiam si in eo non peccaret plusquam venialiter, ex Soto lib. 5. De iustit. & iure, quæst. 6. art. 1. concl. 3. quia mendacium esset tantum officiosum) tamen si interrogetur; An sciat, aut auerit, vel audierit, nec responsum commode subterfugere valeat; posse dicere, se nescire, se non vidisse, non audiuisse, intelligendo intra se (ita vt tunc dicere teneatur) prout in seq. sectio. quoad testem ex ponetur. Imo si rogetur; An fecerit, poterit dicere non feci: similiter intelligendo, ita vt id tunc dicere teneatur; vel quid simile cum quo tota responsio coniuncta, sit vera, prout antea explicatum est in cap. 1. nu. 9. 10. & 11. Adde quod si Reus ea ipsa sub iuramento affirmare præciperetur, possit eodem modo dissimulare citra vllum peccatum, iuxta tradita à Nauar. in comment. ad cap. Humanæ aures, quæst. 3. num. 11. & sequentibus; & à nobis in præced. lib. 18. num. 90. & 91. Nota vero obiter quod ex Couar. & aliis Doctoribus tradit Leonardus Lessius De iustit. & iure, lib. 2. cap. 31. dubit. 3. num. 15. vt Reo iuramentum deferri possit in causa criminali, requiri ea iudicia seu probationes quæ sufficiant ad torturam (de quibus ad forum externum spectantibus, idem in præced. cap. 16. dubit. 17.) quia iuramentum est quædam spiritalis tortura: cum ipsam mentem non pessimam, non minus vigeat ad veritatem dicendam, quam tortura.

Aduertendum est postremo, Reum, quantumuis captus veritatem fateri teneatur, iuxta antedicta: non teneri tamen iubente Iudice comparere, si vitæ bonorumq; temporalium iactura illi imminet: sed fugere posse, vel abdere se ne capiat, licet nominatim citetur & quaratur: quia id iure naturali ei conceditur: debet tamen si quem læserit, satisfacere illi: iuxta communem doctrinam De restit. & sanam intelligentiam textus in cap. Quidam maligni, 5. q. 1. de qua Sotus lib. 5. De iustit. & iure, quæst. 6. art. 2. part. 4.

De mendacio testis.

SECTIO V.

DE teste sicut de antedictis tenendum est primo, quod si in iudicio falsum testimonium proferat, mortaliter delinquit. Quæ est expressa doctrina D. Thomæ 2. 2. quæst. 70. art. 4. relata à Syluest. in verbo Testis, quæst. 8. vers. 6. & à Nauar. in Enchir. cap. 18. num. 1. Probatur vero: quia illud est, quod huic octauo Decalogi præcepto maxime, proprièq; aduersatur, vt Concil. Coloniense notat in sua expositione versus Peccant autem. Vnde intelligitur excludere à regno cælorum, cum Dominus dixerit Matth. 19. Si vis ad vitam ingredi serua mandata. Probatur item per illud Proverb. 21. Testis mendax peribit; ac per illud quod ex Danielis cap. 13. lapidati sunt senes, qui aduersus Sulannam testimonium falsum tulerunt. Adde & per illud quod Ioan. 19. Iudæi qui Christum falsis testimoniis accusauerunt maius peccatum habuerunt quam Pilatus.

Hoc autem procedit non solum quando testis id affirmat quod scit esse falsum: sed etiam quando dubitatur sit verum, ex Nauar. in Enchir. cap. 25. num. 40. aut quando tacet verum, in notabile proximi damnum, ex eodem ibidem. Ad quod verumq; facit cap. 1. De crimine falsi, per illud. Vterq; reus est, & qui veritatem occultat & qui mendaciam dicit. Aut etiam quando testatur verum quod credit esse falsum, ex eodem adhuc in seq. num. 41. Ad quod facit, quod id sit formaliter falsum testimonium, iuxta communiter receptam D. Thomæ 2. 2. quæst. 110. art. 1. doctrinam de mendacio materialiter, & mendacio formaliter, de quo aliquid habes in præcedenti cap. 1. num. 3. Idem etiam procedit quantumcumq; tale testimonium sit absque iuramento, prout ex præfessum Nauar. in cit. num. 40. & Sotus in lib. 5. De iust. quæst. 7. art. 4. concl. 2. Et patet ex argumento D. Thomæ in cit. art. 4. quod falsum testimonium ex violatione iustitiæ, sit peccatum suo genere mortale, sicut omnis alia iniustitia: quodq; simpliciter prohibetur octauo Decalogi præcepto.

Tenendum est secundo; Testem, etiam si testimonium quod fert mendaciter, sit de re leuissima, mortaliter delinque-

re si (vt fieri solet iuxta cap. Hortamur, 3. quæst. 9. & cap. Si testes, §. Item iniurandi, 4. quæst. 2. & 3. a. que cap. Quoties, & cap. Nuper De testibus & attestationibus) iuramento illud confirmarit. Id quod expressit Sotus in eodem art. 4. concl. 3. Et constat ex eo quod non obstantem materiam leuitate, grauis iniuria inferatur Deo per pernitium: vt pote quo ipse adhibetur in testem falsitatis. Quod si eodem falso testimonio iuramentum desit, ipsum potest ex tenuitate materie à mortali excusari eadem ratione, qua mendacium Rei, de quo in præced. sect. 4. in initio.

Tenendum est tertio, quod testis perniciosam quidem falsitatem dicens in iudicio, sed putans se verum dicere, si moralem diligentiam adhibuerit, quæ ad debite recordandum, debiteq; testificandum requiritur, excusetur à mortali, iuxta D. Thom. 2. 2. quæst. 70. art. 4. ad 1. Cui assentiuntur Caiet. ac cum eo ceteri eiusdem D. Thomæ interpretes ibidem, atque D. Anton. 2. part. tit. 1. cap. 19. §. 7. Sotus in citato art. 4. ad 1. Syluest. verbo Testis, quæst. 8. sub finem: Nauar. in Enchir. cap. 25. num. 40. passimq; recentiores. Habet autem locum, etiam si talis iuramento confirmarit suum testimonium, vt Sotus & Caiet. attigerunt. Addentes ipsum esse quoque immunem ab obligatione restituendi damna, si quæ inde secuta fuerint. Quod probatur quia non tenetur ex recepta, vt patet, cum nihil retineat alieni: neq; ex iniusta acceptio- ne cum ignorantia ipsum excuset à peccato; perinde ac à peccato & restitutione excuset eum qui alienum consumpsit, bona fide putans esse suum. Monet tamen probe ibidem Sotus, quod si leuitate aliqua vsus sit in credendo, aut aliqua negligentia in præmeditando obligatio detur restitutionis alicuius faciendæ, pro ratione quantitatis culpæ in eo commissæ.

Adde eundem postquam se falsum testificatum esse intellexerit, teneri primo partem monere, in cuius fauorem testimonium dixit, vt restituat: si que appareat non restitutus, id ipsum testimonium coram Iudice reuocare; si reuocatio parti prodesse possit; vt maxime potest, si ipse post testificationem se contestim corrigat, iuxta cap. Præterea, De testibus, cogendis; & notant Sotus ac Nauar. locis citatis. Imo etiam si ex interuallo id faciat, ipsum poterit prodesse saltem quoad testimonium falsum quod tulerat, debilitandum, vt Nauar. ibidem declarat. Veruntamen obligare ipsum, vt cum suo notabili detrimento, se sic retractet, nimis durum videtur: nam cum in nullo peccauerit, non tenetur ad id ex iniustitia in penam peccati: quia duo hæc coherere nequeunt, vt damnificatio si inculcata, & restitutio damni faciendæ sit ratione culpæ. Quæ vero alia speciali ratione quam culpæ admittit, talis censendus sit ad restitutionem teneri, vix assignabitur; præsertim cum charitas qua iuari debet innocens, non obliget eum magno incommodo proprio, neque cum onere restituendi.

Cæterum retractando se coram Iudice, debet etiam sub iuramento, si opus sit, affirmare se in lapsu memoriæ dixisse falsum: sed re diligentius considerata deprehendisse veritatem, atque vrgente cōscientia se accedere ad illam aperiendam, retractandumque prius dictum. Atque si Iudex nolit ei credere, id non obstat quin excusetur, cum fecerit quod debuit.

Tenendum est quarto, quod testis cum non interrogatur secundum iuris ordinem, si celet veritatem perinde excusetur à mortali ac excusaretur celans extra iudicium. Pro quo facit doctrina, quam ex D. Thomæ 2. 2. quæst. 70. art. 1. habent interpretes ipsius, tum alij vt D. Anton. 2. part. tit. 1. cap. 19. §. 7. Syluest. in verbo Testis, quæst. 8. Sotus lib. 5. De iust. & iure, quæst. 7. art. 1. concl. 1. & 2. Greg. à Valent. 2. 2. dist. 5. quæst. 14. puncto 1. Ea enim est illum teneri ferre testimonium, qui à Iudice interrogatur secundum iuris ordinem: non teneri autem eum qui secundum iuris ordinem non interrogatur. In priore enim casu, debet Iudici obedire tanquam egenti ipsius opera ad crimina, pro publico suo officio, eliminanda à repub. In posteriore vero, non tenetur obedire, tanquam abutenti contra ius eodem suo officio, egredienti limites suæ potestatis. Vnde colligens eum qui in tali casu mentitur in iudicio, non plus peccare quam si extra iudicium mentiretur. Sed aduerte eam recusatorem dicendi testimonium esse posse mortale peccatum contra fraternam charitatem;

ritatem;

ritatem; si verum aperiendo, liberaretur aliquis à morte iniusta, vel ab alio graui malo, quod ei iniuste infligendum est. Imo tunc, etiamsi quis non interrogetur, ad euitandum eiusmodi proximi malum, tenetur facere quod potest bono modo, veritatem denunciando ei qui prodesse potest.

Porro dicitur quis secundum iuris ordinem interrogari, quando criminis, de quo interrogatur præcedente infamia plene probata, vel iudicis ei aequipollentibus, vel semiplena probatione: ab eo qui Superior est, & in tali causa Iudex, iubetur veritatem dicere: prout in præcedenti sectione quoad Reum explicatum est. Quanquam tamen aliqua in hac re differentia constituitur inter Reum & testem. Si enim Iudex ex delicti notorietate, absque iudicis vel infamia particularis personæ, aut absque semiplena aduersus eam probatione, procedat tantummodo ad inquisitionem personæ in genere: siue, quinam id ipsum delictum commiserit, tantummodo inquirat (*pro officio nimirum suo consulendi bono reip. & conseruandis cuique suum ius*) atque inter cæteros forte interroget illum qui reus est, is veritatem poterit reticere; non item alius, qui interrogatus, (*nisi forte aliquo modo, eiusdem criminis particeps, se proderet*; ad quod non tenetur, vt nec Reus) tenebitur tãquam testis manifestare veritatem, quam Superior exigit ab eo vt sibi necessariam ad prouidendum reipubl. aut alicui particulari notabilem iniuriam patienti. Vnde, vt inquit Sotus *in cit. art. 1. ante solutionem argumentorum*; is qui fraude & dolo subducere se, ne à Iudice vocaretur in testem, grauissime peccaret, & damna inde secuta restituere teneretur.

Iam si testis non sciat, sed mente dubitet; An interrogetur seruato iuris ordine, debet diligere illud in quo est minus periculi argumento cap. Iurauit, 22. quæst. 4. Et ita si nullum ex confessione veritatis imminet detrimentum siue boni communis, siue particularis; debet Iudici deferre, obediendo illi præcipienti: quia id tutius est in conscientia; cum obediendum sit mandato Superioris, quamdiu nulla ratio sufficienter probabilis contrarium suadet. Sin ex tacita veritate, priuato tantum imminet detrimentum; in fauorem Rei ea taceri potest, quando detrimentum ex confessione eidem Reo secuturum non est minus. Etenim tutius est erga eum misericordia vt, quod commendabile est: quam vt seueritate, qua forte innoens cogatur penam indebitam luere iniuste; quod est vituperabile. Sin autem ex tacita veritate imminet damnum boni communis, vt in crimine hæresis, aut læsæ maiestatis, aliiue id genus, ea dicenda est, quoniam id tutius est: quia in dubio inclinandum est potius in periculum boni priuati, quam boni communis, cui illud debere cedere certum est.

47. Nota vero crimina notoria, quorum author est prorsus occultus, nisi vergant in reipubl. perniciem, vel in notabile alicuius particularis damnum, relinquere posse diuino iudicio, iuxta cap. Si omnia, 6. q. 1. (*qua de re legi potest Sor. lib. 5. de iust. & iur. q. 6. ar. 2. concl. 5.*) nec quemquam in tali casu vt testem, teneri Superiori inquirenti detegere personam, de qua nec infamia, nec semiprobatio, nec iudicia probabilia præcesserunt. Sicq; admitti potest doctrina quam ex Sylu. & quibusdam aliis habet Petr. à Nauar. lib. 1. De rest. cap. 4. n. 167. & 168. Quod non modo Reus, sed nec testis teneatur veritatem aperire quãdo persona est omnino occulta. Ratio autem qua id nititur, est quod talis sit exemptus ab inquirentis iurisdictione, per defectum nimirum sciẽtiæ publicæ ad iuridicam sententiam ferendam necessariæ.

Addit idem Petrus à Nauar. in sequen. num. 222. & 223. quod si quis authorẽ criminis non vergẽtis in reipubl. perniciem, vel notabile damnum tertij acceperit sub sigillo secreti naturalis ad consilium vel remedium adhibendum ei in anima vel corpore (vt solent Medicus, Obstetrix, Aduocatus, aut alius similis) non possit quantumcumq; præcesserit infamatio vel semiprobatio, sine mortali & obligationi ad restitutionẽ eum detegere: nisi forte id ipsum adhuc cognoscat alia via. Tum quia ius naturale postulat vt fides præstita non frangatur sine iusta causa. Tum quia is qui iusta necessitate compulsus secretum sub fide commisit alteri, habendus est perinde, ac si illud sibi seruasset, nec rem aperuisset; nisi obliet reipubl. aut tertij iniuria non emendata, sed ad-

huc pendens in futurum, prout Sotus habet loco cit. Quæ iniuria omnium consensu (*teste Petro à Nauar. in memor. nu. 223.*) facit vt promissio secreti & iuramentum, non adeo obligent, quin possit & teneatur quis illud quod scit reuelare, nisi fuerit secretum sacramentale: quod nulla de causa quantumcumque graui, licet frangere.

Amplius, vt testis secundum iuris ordinem interrogatus esse dicatur: opus est ei, sicut de Reo ante dictum est, notum fieri præcedere id quod satis sit ad constituendũ ipsum in articulo, in quo teneatur in re graui aduersus alium ferre testimonium iubente Superiore. Debet autem conditio ista intelligi cum ea moderatione, quæ ante proposita est, cum de Reo ageretur: nempe vt non procedat in iis in quibus legitima consuetudo oppositum habuerit; nec quando Iudex ita fuerit probus, vt credendum non sit ipsum contra ius procedere, etiamsi delicta non sint talia, quæ vergant in damnum reipubl.

Tenendum est quinto, quod testis iuridice interrogatus non teneatur dicere veritatem, si inde timeat sibi euenturum aliquod graue damnum siue spirituale siue temporale in persona, in honore, aut in bonis externis, iuxta Baldi sententiam receptam, vt habetur Nauar. in Enchir. cap. 25. num. 50. Itemq; si ex eo, sit oriturum scandalum, prout idem addit ibid. ex Syluest. Ratio esse potest, quod præcepta humana nõ censentur dari pro casu in quo illorum obseruatio valde grauis nimisq; onerosa esset. Quod in illis cauendum esse patet, tum Christi auctoritate Matth. 11. dicentis, iugum suum esse litæ. onusque leue; & in sequenti cap. 23. reprehendentis Pharisæos imponentes onera grauiã & importabilia in humeros hominum. Tum etiam ratione: quia humana infirmitas adeo abhorret à nimium molestis & arduis; vt præcepta cum tali rigore data, offendiculo essent potius, quam subsidio in via salutis. Pro quo facit cap. Alligant, 28. quæst. 6. Videri possunt tradita in præced. lib. 11. cap. 8. in posteriore parte capituli, regula 3.

Tenendum est postremo, testem cum non interrogatur iuridice, vel aliunde excusatur à manifestanda veritate, mentiri non posse: debere autem Iudici dicere, se dato quod sciret, non teneri respondere ad interrogata. Quod si ille velit ipsam cogere, debet appellare, nisi timeat illum sciturum in ipsum. Quo casu potest respondere se nihil scire, sub intelligendo quod dicere teneatur, prout tradit Nauar. in Enchir. cap. 25. num. 43. consentitq; Sotus in lib. 5. De iust. & iure quæst. 6. ar. 2. concl. 7. consentiunt & alij quorum meminit Petrus à Nauar. lib. 2. De rest. cap. 4. num. 228. Pariter potest dicere se non vidisse, aut non audiuisset, subintelligendo vt dicere teneatur, nec vllius delicti reus erit, etiamsi sub iuramento, vt moris est, præcipiatur respondere: iuxta ea quæ diximus sub finem præced. sectionis.

De mendacio denunciatoris.

SECTIO VI.

49. DE hoc in vniuersum illud statuitur. Quod si alicui legitime præcipiatur denunciare crimen quod nouit, ipeque veritatem neget perniciosi mortalisque mendacij reus constituitur. Quia enim tale mendacium est in re graui & contra iustum Prælati præceptum, factum ad commune, aut alicuius priuati damnum vitandum, aut bonum procurandum, perniciosum est notabiliter, atque adeo mortale, eadem ratione qua mendacium dictum à Reo vel à teste mortale esse supra docuimus. In particulari autem circa idem notanda sunt aliqua documenta. Quibus præmittendum est, Superiorem duobus modis precipere posse vt manifestetur sibi aliquod crimen: vno modo in forma iudicij; nempe quando intendit iuridice, debitove modo tanquam Iudex tale crimen scire, vel ad delinquentis debitam punitionem, vel ad præcauenda aut impedienda aliqua mala impedienda in futurum, vel vt parti læsæ satisfiat, vel vt consulari utilitati publicæ, aut etiam priuatæ. Altero modo extra formam iudicij; quando nimirum Superior ipse intendit delinquentem reuelari sibi non tanquam Iudici ad ipsum puniendum, sed tanquam patri ad correctionem & emendationem ipsius, vel ad satisfactionem partis læsæ.

Primum igitur documentum est, sumptum ex D. Anton. 3. par. tit. 9. cap. 6. Angelo in verbo Denunciatio sub finem, &

Actum in verb. Inquisitio, num. 8. Nauar. in Enchir. cap. 17. num. 13. 4. & 135. Quod quando Iudex intendens punitionem delinquentis, iubet denunciationem: ut quis teneatur denunciare, opus sit ut illud per testes, idoneos intelligat, probare possit: quia si ex personis leuibus, quæ non sunt fide dignæ, rem sciret, excusaretur à denunciando, prout notat Petrus à Nauar. in memor. cap. 4. num. 228. Et confirmari potest: tum per textum satis expressum in cap. Plerumq; 2. quæst. 7. & in cap. Si tantum, & in cap. Placui. 6. quæst. 1. tum etiam per rationem cam: quod temere inde inferret damnum; tam sibi, qui leuitatis notaretur: quam denunciato, quem exponeret in tanto periculo infamiae; & forte castigationis iniustæ. Vnde Superior reuelationem præcipiente sub excommunicatione, ille in eam censuram non incurrit qui veritatem sciens, eam propterea non denunciat iudicialiter, quod illam probare nequeat. Id quod Angelus expressit in verbo Excommunicatione 3. §. 20. Imo etiam si iurauerit quis se denunciaturum, non tenebitur denunciare, si probare nequeat illud quod denunciandum est, ex D. Anton. 3. par. tit. 9. cap. 9. Et ratio est, quia in eo male ageret iuxta proxime dicta; neque iuramentum est vinculum iniquitatis.

Ceterum censetur quis in iudicio posse probare illud quod præcipitur reuelari, cum proferre poterit vnum testem fide dignum, si & ipse sit homo fide dignus, cuius testimonium recipiatur. Sic enim probatio erit per duos testes fide dignos. Quod si ipse non sit homo fide dignus, debet ad probationem denunciationis habere duos testes fide dignos: quia vnus solus, non plus probaret, quam ipse solus, si esset fide dignus.

Secundum documentum est, quod omnes Doctores, tenere Petrus à Nauar. testatur lib. 2. De rest. cap. 4. n. 149. Quando delictum occultum fuerit, & author eius occultus, Iudicem non posse licite de illis inquirere, neq; reum an fecerit, neq; alium an sciat, interrogare ut reuelet. Sic enim accipendum est illud cap. Cum oporteat, De accusationib. Mandamus, quod nisi super prædictis iam in ipsius læsam esse noueritis, vos ad inquisitionem non subito procedatis.] & illud cap. Inquisitionis, eod. tit. Nullum esse pro crimine aliquo puniendum, super quo nulla laborat infamia.

Intelligendum est vero documentum istud cum illius restrictione, quam sequens quartum continebit. Licet autem aliquis exillimare possit, ipsum habere locum quando crimen est notorium, & Iudex generaliter inquirat, quis illud commiserit; contrarium tamen videtur tenendum; nempe Iudici taliter inquirenti, & reuelationem præcipienti obtemperandum esse sub poena peccati mortalis, ac etiam excommunicationis, quando is præcipit sub excommunicatione. Nam cum factum notorium ostendit seipsum, non indiget clamore accusatoris, ut expressis verbis dicitur in cap. Euidencia, De accus. sed vicem supplet accusationis, facitque ut testes possint examinari num sciant auctorem sceleris, perinde ac si accusatio eius præcessisset. Deinde in cap. Ad nostram tertio De iureiurando dicitur, quod secundum traditiones canonicas manifesta non indigeant accusatione, nec in eis ordo iudicialis obseruandus sit, qui debet in aliis obseruari.

Tertium documentum est. Quando Superior præcipit criminosos sibi denunciari, intendens præcipere eorum correctionem & partis satisfactionem, etiam si nulla præcesserit infamia Reï, nec vlla semiplena probatio, vel accusatio criminis, obtemperandum esse sub peccato mortali, & sub excommunicatione, si sub tali pœna, ut plerumque fit, denunciatio præcipiatur. Probatur autem, quia Superior tale præceptum facit ex officio: ac sine iniuria criminosis; famæ ipsius non parcens, ut saluti animæ ipsius consulat, vel ut damnum proximo illatum refarciri curet. Obtemperandum est ergo ei denunciationem præcipienti; sique præcipiat sub excommunicatione, in eam incurrit non obtemperans, simulque contrahit obligationem ad restitutionem damni inde secuti, ut Nauar. monet in Enchir. cap. 17. num. 135. nisi illum excuset illius seu probabilis metusalicuius grauis damni: acture scilicet vitæ vel bonorum suorum.

Aduerte vero ex D. Thom. 2. 2. q. 33. art. 7. quem sequuntur Palud. in 4. dist. 19. quæst. 4. D. Anton. 2. par. tit. 9. cap. 6. §. 4. Angelus in verbo Denunciatio non longe à fine, Nauar.

in Enchir. cap. 17. num. 134. cap. 18. num. 56. & cap. 25. nu. 46. tali denunciationi præmittendam esse fraternam correctionem, per quam Reus inducatur mandato Superioris satisfacere: nisi præsumatur probabiliter, quod talis correctio non proderit. Atq; si facta proficit, nulla manet obligatio denunciandi; sin contra non proficit, manet obligatio denunciandi: dummodo tamen quis sciat ac probare possit illud quod denunciandum est ex Nauar. in cit. n. 134. Vbi addit exceptionem, nisi Prælatus talis esset qui prodesse possit, non item obesse. Ad quod facit cap. Hoc videtur, 2. 2. quæst. 5.

Porro Superior præcipere non potest, ut præmissa correctione prædicta reus occultus vel crimen ipsius occultum denunciatur; neque ei tale quid præcipienti est obtemperandum: quia oportet Deo magis obedire quam hominibus, ex Actis cap. 5. Dei autem præceptum est de correctione fraterna, datum Matth. 18. Non ideo tamen damnandum est præceptum quod ad inquisitoribus fidei datur; statim, nullaque præmissa monitione denunciandi eum quem constat hæreticum esse. Nam correctio fraterna locum non habet, cum non est spes emendationis delinquentis. In crimine autem hæresis ordinariæ nulla est spes emendationis per correctionem fraternam. Cum enim de illius ratione sit pertinetia in dissentiendo ab eo quod vniuersalis Ecclesia tenet, quis merito speret se priuata sua adminitione lucraturum, & ut oportet conuersurum hæreticum, cui iudicium totius Ecclesie non sufficit ad conuersionem: cum præsertim experientia solet esse in contrarium, & periculum sit si moncatur ne fingat se conuersum, & interea alios secreto inficiat: aut videns se detectum, alio se conferat, vbi tuto possit in sua hæresi perseuerare; aliosq; inficere. Cui malo prouideri in magnum totius Ecclesie bonum, Christus suo præcepto impedire noluit. Non est vero negandum, quin si firmiter nec immerito exillimaret quis, se per secretam adminitionem conuersurum hæreticum ac impediturum omnia mala quæ ab eo timeri possunt, ipse debeat uti præmonitione. Sed iam raro, intercedunt circumstantiæ ex quibus quis debeat tam firmum iudicium de hæretico prudenter formare: ita ut rationes sint vtrinq; bene expendendæ: quæ si relinquunt rem aliquo modo dubiam, bonum commune anteponendum est priuato.

Iam quando crimen publicum, notoriumq; est: siue iure, quod scilicet Reus illud sit confessus in iudicio condemnatus: siue factò, nempe quod ita notum sit commissum esse, ut nulla tergiversatione eclarari possit; simulque Reus est manifestus necessarium non est secretam correctionem fraternam præmittere antequam denunciatio fiat Prælato; sed huic præcipienti statim deferendum est, ut præter memoratos auctores docet Richardus in 4. dist. 19. art. 3. quæst. 1. per illud cap. 1. De penitent. & remiss. Manifesta peccata non sunt occulta correctione purganda.] Et per illud prioris ad Timoth. 5. Peccantes coram omnibus argue, ut ceteri timorem habeant. Videri potest Petrus à Nauar. in lib. 2. De rest. cap. 4. à num. 178. vbi & monet in hac re habendam esse rationem emendationis delinquentis, quæ sine denunciatione certo speratur, quantum sufficit ad tollendum scandalum datum: nisi forte punitio illius necessaria esset ad terrendos alios, qui videntes talia peccata publica relinquunt impunita, arriperent alioqui ansam similiter peccandi. Ideo n. dixit Apostolus, Peccantes coram omnibus argue, ut ceteri timorem habeant. Monet quoque idem bene in sequenti num. 184. quod si nec communi damno, & scandalo, nec saluti & bono delinquentis consulatur per denunciationem, aut correctionem fraternam, tacendam omnino esse & ingemiscendum, Deumq; exorandum, in cuius manu sunt hominum corda.

Atque ex dictis colligere licet, aliter procedendum esse, quando Superior præcipit reuelationem fieri in iudicio per viam testimonij, & aliter cum per viam denunciationis. Illo enim modo reuelans non tenetur Reum prius corrigere priuatim, nec Iudici per testes, illum esse criminis reum probare, ut ex Angelo habet Nauar. in cit. cap. 17. n. 135. Sed sufficit ut sciat præcessisse rei infamiam de tali delicto, vel semprobationem vel accusationem, iuxta D. Thom. 2. 2. quæst. 70. art. 1. & Caiet. ibidem. Quamquam nec tunc tenebitur, si sit de eorum numero, qui à testificando excusantur, vel ob

confanguinitatem, vt ascendentes, & descendentes, ex cap. Si testis, §. Parentes, 4. quæst. 2. & 3. (non autem collateralis, vbi ibidem glossa exprefsit: quam intellige iuxta antedicta lib. 9. num. 210.) vel ob affinitatem, vt maritus & vxor. De qua re Angelus in verbo Denunciatio sub finem, Nauar. in Enchir. cap. 25. num. 48. Nota obiter, quod si ex verbis, aut coniecturis præcepti, colligi non possit Iudicem præcipue intendere correctionem criminosi, vel proximi læsi satisfactionem, is præsumi possit intendere potius punitionem: quia in hac potius quam in illis occasio est celandi intentionem.

55. Quartum documentum est, quod post D. Thom. 2. 2. quæst. 70. art. 1. habent Caietan. ad eundem artic. & Sotus in lib. 5. De iustit. & iure, quæst. 5. art. 1. ac Nauar. in Enchir. cap. 8. nu. 54. ac alij quorum meminit Petrus à Nauar. in lib. 2. De restit. cap. 4. n. 186. Quod etiam si nullum sit præceptum Superioris: eum qui nouit Reum & crimen ipsius ex quo graue damnum imminet reipub. aut tertiæ personæ, teneri talem criminofum reuelare quantum necessarium est ad obuiandum eiusmodi damno: iuxta illud Psalm. 81. Eripite pauperem & egenum de manu peccatoris liberate, & illud Prouerb. 24. Erue eos qui ducuntur ad mortem. Accedit quod lex charitatis obliget occurrere Domino, quod alicui ex alterius malitia imminet.

Aduerte autem primo, tali obligationi nõ ob stare, quod ipse criminofus inde diffamabitur: quia iuste id continget ob ipsius culpam, quam emendare non vult, tali pœna dignam, quando damnum fuerit notabile. Quod addo quia damni leuis nõ tanta ratio habenda, quin fama proximi debeat ei præponderare, vt ex Gabriele admonet Petr. à Nauar. in seq. num. 190. Ideo statuens, quod si vir bonæ alioqui famæ furaretur aliquid non magni momenti, potius dissimulandum sit, quam quod is diffametur.

56. Aduerte secundo, ex D. Thoma in præced. quæst. 33. ar. 7. tali denunciationi non esse de necessitate præmittendam secretam monitionem criminofis: quia is non peccat in te, sed in alios quibus nocendum parat. Quocirca in illo non habet locum sententia Evangelica Matth. 18. Si peccauerit in te frater tuus, &c. Excipit autem D. ipse Thom. nisi denunciator firmiter crederet per suam secretam admonitionem, emendatum iri fratrem, & sic occursum iri damno: tunc enim contra charitatem, ac etiam contra iustitiam infamaretur apud Iudicem: cum id fieri nulla iusta causa exigat. Quam exceptionem authores approbantes bono numero commemorat Petrus à Nauar. in eod. cap. 4. num. 186.

Consequenter mouens dubium; An eidem exceptioni locus sit, cum incerta est criminofis emendatio ex monitione. Ac negantem partem sequitur, sultus in hac ratione. Quod si emendatio sit dubia, damnum erit etiam dubium. Cui si publicum sit, magis consulendum est quam priuato. Nec enim consentaneum est rempublico periculo exponere, ne priuatum delinquentis bonum periculo exponatur. Imo addit idem author ex Nauar. cum certo damno hominis priuari, maxime noxij, periculum probabile reipub. euitandum est. Sin autem damnum sit priuatum: vt furtum, adulterium, homicidium, magis consulendum est bono innocētis quam nocētis, prout dicitur lex charitatis de impediendo damno, quod alicui imminet ex alterius malitia, factisq; ostendit ius à natura concessum, defendendi innocentem contra nocentem tanquam illius iniuriam aggressorem.

57. Aduerte tertio, crimina publica hic dici, nõ vt in præced. documento notoria, sed quæ contra bonum publicum committuntur, illatiuq; sunt damni publici, quantum secreta; vt hæreses & proditioes: quæ natura sua tendunt ad peruersionem populi, aut reip. perturbationem; itemq; veneficia, lepra, pestis, aut alius cõtagniosus morbus, falsatio literarum, & adulteratio monetæ, ambitiones, & subornationes in Ecclesiasticis, aut secularibus electionibus, crimen læsæ maiestatis, & deprædationes.

Aduerte quarto, ex Caietano ad cit. D. Thom. artic. 7. & ex Nauar. in Enchir. cap. 18. num. 54. & ex alijs quorum meminit Petrus à Nauar. in cit. cap. 4. num. 229. Quod Clerici & Sacerdotes possint ac debeant, proditioes aliaque reipubl. perniciofa peccata perpetranda denunciare Iudici absque periculo irregularitatis, dummodo protestentur se id facere tan-

tum ad mala quæ imminet, præcauenda sine sanguinis effusione.

Aduerte quinto, in his enormib. peccatis ex quibus graue damnum reipub. vel tertiæ personæ imminet denunciandis publice in iudicio ex præcepto Superioris; opus esse iuxta dicta in 1. documentis, vt denunciatus probet per idoneos testes talem ea perpetrasse, aut velle perpetrare: sique id non possit, teneatur saltem secreto extra iudicium, denunciare Superiori tanquam ei qui potest prod esse, & non obesse: quia omni quo potest iusto modo debet talia mala impedire. Aduerte denique ex Petro à Nauar. in præced. num. 223. documentum istud procedere, quantumcumq; rem quis sub sigillo secreti (excepto tamen Sacramentali quod pro nulla re violare licet) acceperit, vt misero delinquenti remedium in corpore, vel in anima adhiberet: vt medicus, obliuiscens, aduocatus vel alius consiliator, sicut adiuor. Ratio est: quia data fides etiam iurata seruari non debet cum fieret vinculum iniquitatis; prout fieret cum re publica vel tertijs ea de causa notabile detrimentum iniuste pateretur.

58. Quintum documentum est: In denunciatione facienda secundum præcedens documentum, tanquam in defensione cum moderamine inculpare tutelæ, delicta non esse plus manifestanda, quam satis sit vt damnum quod imminet euitetur: quia non esset alioqui simplex propulsiuo iniuriæ, sed mixta cum illius illatione. Itaq; si ad obuiandum damno sufficiat crimen mediatum detegere, non debet detegi persona in particulari: vt si sciam aliquem decreuisse rem alienam furari hac nocte, nec possum ab eo proposito mea monitione illum reuocare, contentus esse debeo eiusdem monere rei dominum, vt sollicitè eam custodiat: si id satis fit ad cauendum furtum. Item si sciat aliquis priuatum, cuius monitione criminofus sufficienter suadendus sit desistere à damno inferendo, ei potius quam Iudici facienda est denunciatio. Itaque tunc demum ipsi Iudici facienda est quando priuata persona damnum quod imminet, non potest impedire: aut cum iam illarum elijs qui inuitit nõ vult illud relacere præmonitus sufficienter.

Intelligitur autem ex hoc documento, cum à Prælato in edictis sub pœna excommunicationis præcipitur, vt quicumq; sciuerit quismam certam rem furatus sit, id manifestet intra certum tempus, manifestationem esse faciendam, admonito prius delinquente, si spes sit emendationis. Qua tunc omiſsa denunciatio facta, nisi ignorantiæ excuset, censenda est peccatum, ob non seruatum in ea ordine in correctionis fraternæ, exigentem vt frater peccans prius corripatur priuatum, quam publicetur Ecclesiæ.

Aduerte vero cum damnum nondum illatum est sed imminet (vt quando mors paratur alicui, vel vult quis furtum committere) vtendum quidem esse denunciatione, prout iudicatur conuenire ad hoc, vt is cui illud imminet tutus reddatur, vbi tamen longe maius damnum ex ea timeatur, quam sit illud ipsum imminens, ab ea abstinendum esse: nisi daretur Prælati aut alius, qui ea sibi facta, prod esse posset nec grauitè obesse. Quod relinquatur prudentis arbitrio ex consideratione circumstantiarum.

59. Sextum documentum est: Cum proximi delictum pendens in futurum, fuerit occultum, nec alij, quam delinquenti nocium antequam testes adhibeantur & Prælato fiat denunciatio, monendum est idem delinquentem, si sit in eo spes emendationis; nec notabile damnum ex præmonitione merito timeatur. Ratio est: quia sicut corporalis medicus tenetur curare corpus cum quam minimo potest illius damno: sic etiam vtens correctione fraternæ tanquam animæ curatione, dare debet operam vt ea vtatur quam commode potest in bonum delinquentis: vitata ipsius confusione maiore ac famæ iactura apud alios. Quæ præter alia incommoda externa, habent quoque illud animæ, quod pudore & fama perditis, maiore facilitate prolatur quis in peccatum: à quo illis seruati retraheretur. Dixi autem modo spes sit emendationis nec damnum timeatur: quoniam si nulla sit talis spes, aut ex admonitione timeatur notabile damnum, siue peccantis siue admonentis, aut etiam alterius, illa omittenda est: & alia via tentanda ad legitimum occurrendum malo imminenti.

Ex quo documento intelligitur, abstinendum esse ab

istiusmo.

istiusmodi denunciatione, quando monitio nostra sufficere potest ad emendationem delinquentis; vt & quando ad hanc illa nihil conferret, aut fieret in deteriorationem delinquentis. Intelligitur etiam, quod si delinquens amicum habeat piũ, & discretum virum, cuius monitione melius emendabitur, quam mea aut Superioris; consultum esse denunciationem tali fieri. Intelligitur denique eam debere Superiori fieri potius vt patri, quam vt Iudici.

60. Aduerte autem primo, non modo Prælatus iuxta cap. Si peccauerit, 2. quæst. 1. & cap. 1. De penitent. & remiss. sed etiam perfortam priuatam debere publice peccantem publice arguere, quando id necessarium fuerit ad occurrẽdum scandalo aliorum, aut ad tuendum Dei honorem. Ad quod vtrumque tenetur quisque ex charitate; nisi interueniat aliquid eorum quæ excusant ab obseruatione præcepti de correctione fraterna; à nobis tradita in præced. lib. 4. cap. 25. vbi videri poterunt. Vt autem publice peccantes sunt publicè arguendi, ita & qui coram aliquo, aut aliquibus paucis, peccant, coram iisdem argui aut moneri pariter debet, cum inde nihil famæ ipsi percat, vt nec perit publice peccantibus ex eo, quod publice arguantur; & interea consultur edificationi presentium, tolliturque scandalum seu occasio peccandi eis data.

Aduerte secundo, quod Petrus à Nauar. habet in eodem cap. 4. nu. 247. & duob. sequentibus. Si verosimile sit, cum qui deliquit non rediturum ad vomitum; vt quia occasiones ablatæ sunt, & ipse notabiliter mutatus est in mentem meliorem, abstinendũ omnino esse à denunciatione: cum ex præcepto de correptione fraterna dato Matth. 18. habeatur, tunc demum fratrem peccantem denunciandum esse Eccles. 1. cum monitis primum solus, deinde adhibito vno aut altero teste, audire non vult. Quod locum habere, non modo cum emendatio certa, sed etiam cum probabiliter speratur, factis in finem est per verba Domini in eod. cap. 18. Si te audierit iuratus es fratrem tuum. Illustrari possunt hæc similitudine. Nam etsi quis corporali vulnere grauitur laborauerit, si iam sanus factus est, aut verosimiliter sanandus est, non videtur opus esse medico, iuxta illud Matth. 9. Non est opus valentibus medicus.]

Aduerte tertio, Prælatum, cui facienda est denuntiatio, quando non est spes quod proximus sufficienter respiciet per solam admittionem (ut vt relabendi periculum perseveret) debere talem esse qualem oportet: nempe talem qui tanquam pater nolit obesse, & possit prodesse. Alioquin enim denuntiatio non fiet ex charitate, quæ postulat vt bono proximi consulamus quantum fieri potest. Quod autem Superior ipse talis sit, semper est iudicandum, nisi certo constet de contrario: præsertim in istiusmodi negotio, in quo criminofum aliquid pati pro anime suæ remedio, non est incommodum: nec alius potest illud æque bene gerere ac Superior; qui ad consilium, addere potest metũ, aut alia remedia efficacia ad illud à relapsu præseruandum, & cautiorem in posterũ reddendum. Ad quod facit illud quod Petr. à Nauar. habet in lib. 2. Dereflit. cap. 4. nu. 235. esse aliquarum religionum constitutiones à Sede Apostolica approbatas, vt quicumque errores & vitia inferiorum, Superioribus manifestentur per quemcumque qui extra confessionem cognouerit.

Aduerte postremo, aduersus illud quod dictum est, cum delictum fuerit occultum præmittendam esse denunciationem monitionem secretam delinquentis: obici posse, quod D. Petrus Act. cap. 5. publice reprehenderit peccatum occultum Ananias, nulla præmissa admittione. Cui obiectioni occurrendum est, Deum pro immensa sua sapientia & potestate posse statim procedere ad crimina, prout ei libuerit puniendi, idemque feruus ipsius posse facere ex ipsius particulari inspiratione, & quasi nomine ipsius. Id quod contingere censendum non est, nisi adsit peculiaris causa: sicut aduissè in proposito casu existimandum est; in quo D. Petrus sicut ex Dei reuelatione peccatum illud occultum & penam mortis qua puniendum erat cognouit: ita etiam ex eiusdem inspiratione idem peccatum publice arguit; & mortis sententiã protulit: ea peculiari de causa, quod peccatum illud extraordinarie manifestari ac puniri expectaret bono communi: vt initio nascentis Ecclesie ceteri timerent, & à perpetrandis criminibus auerterentur, simulque

fides confirmaretur. Quam causam conuicere licet ex effectu secuto. Nam vt in eod. cap. 5. additur. Factus est timor magnus in Ecclesia, in omnes qui audierunt hæc. Simile quid euenit in eo quod Iosue 7. cum Deus sortibus patefecit ac puniri fecit peccatum occultum Acham, qui contra diuinam prohibitionem aliquid de anathemate tulerat & absconderat.

Septimum documentum est. Si Superior præcipiat, vt qui nouerint talis criminis auctores sibi secreto tanquam patri reuclent ad eorundem emendationem, vel satisfactionem læsi; cognoscentes extra confessionem, etiam si nullo modo probare possint, teneri (idque sub excommunicatione si sub ea factum sit præceptum) secreto tales criminosos denunciare: duobus tamen presuppositis: alterum est, quod constet Superiorem omnino velle in eo procedere vt patrem, nempe ad correctionem, non autem ad punitionem, vt habetur ex cap. Hoc videtur 22. q. 5. Alterũ, quod præmittatur secreta monitio inter te & ipsum solum, ac etiam inductio testium iuxta Christi præceptum, si illa non sufficiat, & hæc existimetur profutura. Atque si ex tali monitione sit spes emendationis, non tenebimur nec debemus denunciare Prælato: secus vero si nulla sit spes. Ita habetur ex Richardo in 4. dist. 19. art. 3. q. 1. Syluest. in verbo Correctio, q. 8. Angelo in verbo Denunciatio §. 13. & aperte tradit in lib. 2. Dereflit. cap. 4. n. 221. Petrus à Nauar. bonam rationem addens propositi documenti: nimirum, quod in eo casu, nulla imminet pena qua delinquens molestetur, nec timenda sit infamia ipsius; quandoquidem innotitia apud vnum qui loco patris habetur, non debet dici infamia.

Octauum documentum, quod ex ipsius auctoribus habetur, est: Cum Superior edicit vt subditi manifestent sibi quæ sciunt vel audierunt de certis aliquorum delictis, eos teneri obedire ipsi, ac reuelare prout præscribitur in forma edicti, & Superior ipse, prout vult reuelari: nempe secreto, siue in iudicio publico, siue per denunciationem, siue per testificationem, & siue ad punitionem, siue ad correctionem, siue ad satisfactionem (seruari tamen is qua in præcedentibus documentis diximus esse seruanda) ita vt diligenter sit notandus præcipiendi modus: ex illiusque diuersitate colligendus diuersus modus, quo subditi ad aliquod obligantur. Ad id faciunt tradita in præced. lib. 9. cap. 12. quæ consule.

Nonum documentum est. Quando præcipitur vt illi reuelent qui scierint vel nouerint delictum & personam delinquentem. Illi scire censendi sunt, qui vsu vel aliquo alio externo sensu perceperunt, vel ex ipsius Rei confessione, extra penitentis sacramentum nouerunt, iuxta cap. Hoc videtur, 22. q. 5. vel qui ex iusta & rationabili causa pro certo habent, ipsum esse reum talis criminis; prout ex Innoc. ad cap. Cum causa, De iuramento calumnie notat Nauar. in lib. 5. consil. tit. De hæreticis, consil. 9. num. 1. vel demum, qui audiunt, aut à fide dignis (quos debent nominare cum denunciant Superiori) illud scitauerint, vt ibidem ex quadam glossa habet Nauarrus.

Decimum est, ex Thom. 2. 2. quæst. 70. art. 4. ad primum. Quod cum ex humanæ memoriæ labilitate contingat, vt homo quandoque reputet se certum esse, de eo quod falsum est: si ipse cum debita sollicitudine recogitans, de aliquo quod falsum est, existimat se certum esse, non peccet mortaliter assensu illud in iudicio: cum non dicat falsum ex intentione, sed tantum per accidens, contra suam intentionem.

Vndecimum est, fundatum in eo quod habet Nauar. in Enchir. cap. 25. num. 46. de obligatione inferiorum parendi Iudici præcipienti vt denunciet talia vel talia crimina, vel debita. Quod is qui non reuelat Superiori prout debet intra tempus præscriptum, teneatur postea id facere quamdiu id commodè potest, atque reuelatio ipsius adhuc est aliquo modo profutura: ita vt maneat in excommunicatione, si quam ea de causa incurrit, neque ab ea absolui possit donec reuelauerit, prout tenetur.

Duodecimum documentum est. Cum sub excommunicatione Superior præcipit sibi reuelari eos qui aliena bona retinent, illos, qui non reuelantes excusantur à peccato mortali iuxta antedicta, excusari quoque ab excommunicatione: quæ cum sit maior non nisi ob mortale peccatum incurritur,

ex cap. Nullus, & cap. Nemo 11. quæst. 3. Et ita cum certo scitur quis, talia bona retinere loco iustæ compensationis: sicut excusatur à peccato eum non reuelans. sic & ab excommunicatione. Dico (scitur) quia non esset locus tali excusationi si de eo dubitaretur, prout docent Angelus in verb. Furtum, §. 41. Syluest. Excomm. 2. quæst. 8. Armilla verbo Inquisitione, §. 9. Medin. in C. De rebus restituendis, quæst. 11. Navar. in Enchir. cap. 17. num. 114. & 115. Ratio vero documenti est, quod de iusta voluntate Superioris sit præsumendum, quod ipse nolit quem spoliare naturali iure, quod habet recuperandi ea ratione, bona sua. Attamen concesserim cum Syluestro, sicut concedit Petr. à Navar. in cit. cap. 4. num. 227. esse obediendum, si in præcepto addatur clausula, vt ij etiam reuelentur, qui sciuntur causa compensationis accepisse. (*idem iuste præcipi potest ob præsumptionem illicitam vel nimiam compensationis, aut debiti dubij*) nisi timeatur coactio ad iniustam restitutionem, ex qua præceptum contineret errorem intolerabilem, & per consequens non obligaret.

CAPVT IV.

De detractioe.

SVMMARIVM.

- 66 Tria bonorum genera: ac distinctio fama à rumore: illiusque diuisio in bonam, & malam.
- 67 Detractio & contumelia peccata sunt specie distincta.
- 68 Definitio detractiois cum explicatione singularum partium eiusdem.
- 69 Varij detractiois modi.
- 70 Iusta causa excusat à peccato detractiois.
- 71 Detractio peccatum est mortale suo genere.
- 72 Quando aggravatur mutandi speciem, & quando censetur peccatum tantummodo veniale.
- 73 Detractio materialis quando fit, vel nõ sit peccatum mortale.
- 74 Materia leuitas ex qua detractio excusatur à mortali, varijs modis contingit, & quibus.
- 75 Eis numerandum esse eum, quo reuelatio fit ei, cui dicere perinde est ac si nulli dicatur: & cũ quo accepta iniuria narratur, ad consilium & solatium.
- 76 Modus dicendi excusans detractioem à mortali, cum sua exceptione.
- 77 An narratione auditorum committatur detractio mortalis.
- 78 A mortali excusatur qui ex his que patent, detegit alicuius famam esse maiorem, quam par sit.
- 79 Quando reuelatio naturalis defectus proximi, peccatum sit mortale.
- 80 Quando reuelatio peccati venialis.
- 81 De detractioe ex reuelatione grauium criminum.
- 82 Infamatum de maiori crimine, non licet infamare de minori.
- 83 Explicatio dubij: An licitum sit de peccatis proximi colloqui cum eo, qui illa nouit.
- 84 Peccatum notorum patet facere illud nescienti, quando fit peccatum: & que notorietas facti ab eo excuset.
- 85 De peccato quod committitur narrando nescientibus peccatum alicuius, quod iuridicè proditum est.
- 86 De peccato quod committitur reuelando crimen, quod olim fuit notorium, sed iam sopita est illius memoria.
- 87 De peccato quod committitur infamando seipsum, contrarie sententia.
- 88 Probabilior, non esse mortale suo genere.
- 89 Casus in quibus est mortale ex circumstantia.
- 90 De infamante se metu tormentorum.
- 91 Quando metu tormentorum liceat infamare proximum.
- 92 Quando liceat aut non liceat diffamare eum, qui per mendacium adeptus est bonam famam.
- 93 Quatenus liceat amico referre iniuriam acceptam ab aliquo, cuius fama inde laeditur apud illum cui refertur.
- 94 Quando sit peccatum tacere virtutes alienas.
- 95 De peccato quod committitur audiendo detractores.
- 96 Quando peccetur inquirendo de defectibus aliorum.
- 97 Pœna detractorum.

PRænotandum est primo, tria distingui bonorum humanorum genera. Primum est, bonorum animi, vt scientia, virtutis, &c. Secundum, bonorum corporis, vt vitæ, integritatis membrorum, sanitatis, &c. Tertium, bonorum externorum: quorum alia sunt honorabilia, vt fama, honor, gloria: alia vtilia, vt res familiaris, aliaque ad vitæ consecrationem necessaria. Quibus honorabilia præstare patet per illud Proverbior. 22. Melius est nomen bonum quam multa diuitiæ.]

PRænotandum est secundo, famam esse communem opinionem voce manifestatam. Atque per illud quod communis sit, hoc est, quod sit maioris partis populi eam distingui à rumore, quod est minoris partis populi. Per illud vero, quod voce manifestata sit, distingui ab æstimatione, quæ tantum est interior opinio. Cum autem fama quædam sit bona; quæ est de bono alicuius, æstimando nempe, quod bonus sit moraliter, vel sit ad aliquem finem vtilis. Quædam vero mala, quæ est de alicuius malo contrario; hic de bona tantum agemus. A qua honor in hoc tantum differt, quod is sit de bono alicuius, non quocumque, sed excellenti; & consistat non tantum in bonis verbis: sed etiam in factis: vt in apertione capitis, genu flexione, & alijs, per quæ testimonium exhibetur excellentiæ, que in homine est, maxime secundum virtutem, ex D. Thoma 2. 2. quæst. 103. artic. 1.

PRænotandum est tertio, detractioem & contumeliam peccata esse inter se specie distincta: & ideo profertem contumelias animo detrahendi, lædendive alterius famam, non satisfacere accusando se de cõtumelijs, nisi circumstantiam detractiois exprimat. Cuius distinctionis fundamentum est, non tantum, quod detractio in læsione famæ: & contumelia, in læsione honoris consistat: sed etiam, vt habetur ex D. Thoma 2. 2. quæst. 73. art. 1. quod proximus per detractioem, sicut per furtum, clam lædatur; & per contumeliam, sicut per rapinam, lædatur coram, & aperte: id eo; scilicet de vnaquaque dicendum est: prius autem de detractioe: de qua agunt Gratianus 6. quæst. 1. cap. Ex merito & aliquot sequentibus. D. Thomas & ipsius interpretes 2. 2. quæst. 73. Summatim in verbo Detractio. D. Anton. id. g. p. in 2. par. tit. 8. cap. 4. Adrianus erudite in quodlibet. 11. Scot. in lib. 5. De iust. & iure, quæst. 10. Sebast. Med. in summa peccatorum, tit. 3. quæst. 6. vbi plures alios commemorat. Quibus accesserunt Greg. à Valent. 2. 2. disput. 5. quæst. 17. & Leon. Lessius De iust. & iure, lib. 2. cap. 11. dubit. 2. & aliquot sequentibus. Lud. Molina De iust. & iure, tomo 5. tract. 4. Ea quæ ad eam pertinent, sequentium quæstionum explicatione complectemur.

QVÆSTIO I.

Quid sit detractio.

AD huius explicationem varie quidem à varijs (vt patet ex citatis authoribus) afferantur definitiones detractiois. Sed hac familiari contenti erimus, quia detractio dicitur ablatio famæ propriæ vel alienæ, quocumque tandem signo, absque iusta causa. In qua definitione, primo loco dicitur, Ablatio, vt significetur detractioem non esse, quando dicuntur alicuius vitia iam nota, aut ita leuia, vt inde nihil de fama detrahatur: neque illam minuendo; neque, quod peius est, illam penitus extinguendo: neque, quod pessimum est, aspergendo infamia. Quos tres modos Adrian. in cit. quodlibet. 11. littera D, explicat exemplo boni odoris, quem qui extenuat, minus offendit, quam qui omnino tollit: & grauissime offendit qui illud per mali odoris asperionem aufert. Secundo dicitur, famæ, quia vt contumelia tollit debitum honorem, id est, externam reuerentiam: ita detractio aufert famam, id est, æstimationem animi bonam quam quis habet de proximo, extertius manifestatam. Tertio dicitur, propriæ aut alienæ, quia peccatū istud committi potest quoque ab eo qui sibi ipsi famam aufert, prout in seq. exponetur. Quarto dicitur, quocumque signo: quia quis iudicium temerarij possit esse sine vilo signo, cum tantū auferat propriam æstimationem: detractio tñ requirit aliq. signum externū, cum auferat æstimationem aliorū. Idem quoque dicitur ad significandum, tum quod non tantum verbis, sed etiam factis, imo & taciturnitate fiat famæ ablatio: tum quod multi sint detractiois modi.

Communi.